

A P O L. De tanto Arcano ne nunc ediffere quicquam :
Auribus, atque oculis non caret iste locus.

P A L L A D. Quod differtur, non aufertur, ut est in proverbio : Nunc ad alia in instituto sermone nostro properandum : fac itaque pergas in enumeratione mineralium,

Chalybs,
& Ferrum

T H E O D. Metallis istis primariis adjungo chalybem, & Ferrum. Ex hisce efficacissima, & tutissima conficiuntur medicamenta: quibus illi omnes ventriculi, hepatis, lienis, matri-
tricis, renumque curantur morbi; qui Acidularum naturalium usu curati possunt.

Exsudans siquidem terra mineralis ab antris,

Lympha acida, est Salsugo, rubro cum Sulphure, Ferrum.

A P O L. S O L, Spagyris instar Cræsi est; M A R S pauperis IRI:
Ast Ambo excellunt dotibus ætheriis.

Crede mihi, longo didici quod temporis usu;

Conjunctum Imperium CROESVS, & I R V S habent.

Sulphur
vivum,
Vitriolum,
seu Chal-
canthum.

T H E O D. Addo his sulphur vivum; ex quo flores parantur præstantissimi. Vitriolum, seu Chalcantum: cuius Spiritus efficacissimi, licet pectori, & pulmone quodammodo infensi infestinaque sint; ventriculo tamen, aliisque corporis partibus valde commodant. Solaris enim illius Spiritus non nihil possident: in terra vero Calcanthi multo plus Solaris illius balsami residere & delitescere, experientia edocuit. Adde in his Terram solarem, si ve metallarem; theriacalem, seu alexiteriam; valde Solarem & balsamicam; quæ multis in locis reperitur. Quid tu de hac sentis Apolloni?

Terra me-
tallaris.

A P O L. Hæc præstans nobis, Solaris terra medela est;

Qui facti è terra, terra lutumque sumus.

Coralia.

T H E O D. Adjungo his lapides preciosos, maxime Solares: in quibus sane plurimum formæ, parum vero materiæ reperitur: Coraliam, rubram, & albam; frigida, & sicca secundo ordine; Cordi singulariter amica.

Margaritæ.

Margaritæ: frigidas, & siccas primo ordine; itidem Cordi, & Cerebro simul consecratas.

Succinum

Succinũ: Calidum primo, siccum secundo ordine: Cerebro propter peculiarẽ quandã sympathiam cũ primis familiare & conveniens. Hoc nihil aliud est, quam balsamum coagulatum, & induratum: quod vel unica destillatione commoda, & quidem sine adustione, resolvi potest.

CrySTALLI
Tartari.

Tartari Crystallũ: Valde comendatum à Medicis; tanquam excellens remediũ ad purificandum ventriculũ, ad expurgandum hepar, lienẽ, mesenterium, à crassis, adustis, terrestrib. & viscidis

viscidis